Disputatio medica inauguralis, de phrenitide idiopathica : quam, annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Georgii Baird, SS.T.P. Academiae Edinburgenae Praefecti : necnon amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Patricius Gillespie, Scotus, Chirurgus, Regiae Societatis Medicae Edinensis Sodalis, Societatis Medico-Chirurgicae Edinensis Socius Extraordinarius, necnon Praeses Annuus.

Contributors

Gillespie, Patrick.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgi, 1811.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/jzvjh8uz

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE IDIOPATHICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

T NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoratus,

MMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

PATRICIUS GILLESPIE,

Scotus,

CHIRURGUS,

GIÆ SOCIETATIS MEDICÆ EDINENSIS SODALIS; SOCIETATIS MEDICO-CHIRURGICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS, NECNON PRÆSES ANNUUS.

Miseris succurrere disco. VIRGILIUS.

Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus ando. CICERO.

Pridie Idus Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCXI.

VIRO SPECTATISSIMO,

PATRICIO CRAUFURD BRUCE,

ARMIGERO,

DE GLENELG,

IN COMITATU INNERNESSI,

TESTIMONIUM PEREXIGUUM ANIMI

BENEFICIORUM IN SUOS OLIM COLLATORUM

HAUD IMMEMORIS,

HAS PAGINAS,

SUMMA OBSERVANTIA

OFFERT

PATRICIUS GILLESPIE.

JOANNI MUIR,

ARMIGERO,

VIRO EQUIDEM EXIMIO,

TUM OB VIRTUTES PUBLICAS, TUM OB PRIVATAS

PARITER INSIGNI,

HOC OPUSCULUM,

SUMMAE OBSERVANTIAE, ANIMIQUE,

OB PLURIMA AMICITIAE OFFICIA

IN SE SUOSQUE COLLATA, PERGRATI

MONUMENTUM,

SACRUM ESSE VULT

PATRICIUS GILLESPIE.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE IDIOPATHICA.

AUCTORE PATRICIO GILLESPIE.

ORGANORUM in corpore humano omnium, quae ad intellectum pertinent, et quasi vinculum corpus inter et animum faciunt, longe nobilissima nequeunt non aestimari. Haud secus ac aliae corporis partes, ea organa, tametsi, ad munera fere, vel potius omnino divina fungenda, summo opifice rerum destinata fuerint, minime, tamen, omni tempore, optima valetudine gaudent: multis, variis, miris-

que sane mutationibus; multis morbis, gravibus, molestis, miserandis, omni attentione dignis, sunt obnoxia. Profecto, ut omnibus medicis bene notum, prout se habeant, mens sana aut morbosa est hominibus. His organis ad propria munera probe valentibus, omnibus ad intellectum spectantibus, homo se aptissimum habet: laesis, ejus facultates optimae, nobilissimae, plus minusve semper depravantur, et nonnunquam etiam prope abolentur; atque ita mirabile, et miserabile dictu! qui, locum, inter animantia, quae hunc terrarum orbem incolunt, omnia, varia, et prope innumera, primum, paulo ante forsan tenebat, quibusdam longe inferior evadit: hoc enim tempore, nil fere praeter hominis effigiem possidet. Nexus corpus inter animumque Omnipotente statutus, nulloque tempore haud intercedens, quam arctus, quam mirabilis! Varia sane, et multa, immo et innu-

mera sunt phaenomena, sese, tam in statu systematis sano, quam in morboso, ostendentia, quae, nexum arctum, atque mirabilem, animum inter ac corpus, nunquam haud intercedere, pulcherrime demonstrant.

Cerebri, membranarumve illud cingentium inflammatione, morbove, qui apud medicos Phrenitis appellatur, nullum e malis, quae situ in cerebro gaudent, et quae, eo, actiones ad animum, aeque ac corpus pertinentes, plus minusve turbant, nexum mirandum quidem, sed nunquam forsan exploranduin, inter naturae humanae partes duas, omni tempore, intercedere, pulchrius ostendit; nullum, summam philosophi, aeque ac medici, magis meretur curam, et attentionem. Phrenitide saeviente, vita aegri ipsa, maximo in discrimine semper versatur, sensorii functiones, animive phaenomena, plurimum, et sane mirum in modum, turbantur: sublata, finis, actioni-

bus omnibus, tam animi, quam corporis, in hoc saltem mundo, plerumque impositus est; sin, tamen, quasi ex ipsis orci faucibus abreptus fuerit miserrimus, perraro, equidem, mente sana, dono Dei optimo, sano in corpore gaudet.

Phrenitis in Symptomaticam, ac Idiopathicam vulgo divisa est: quarum altera, morbis plurimis, et variis supervenit; altera, ab affectione cerebri meningum, vel cerebri ipsius substantiae, vel etiam amborum primario pendet. Phrenitis Symptomatica multo frequentius, sed minime saepe, Idiopathica rarissime quidem, in regionibus praesertim quae ad septentrionem spectant, observatur.

In praelectionibus suis academicis, Gregorius clarissimus suos auditores certiores facit, seipsum, exemplum Phrenitidis, sub forma quae dicitur Idiopathica, nunquam vidisse: quod, ad demonstrandum, Phreniti-

dem Idiopathicam admodum raro, hac in insula, suam faciem horridam ostendere, mea sententia, satis est superque: rarius adhuc, sub coelo frigidiore, se dat in conspectum; sub calidiore, tamen, ut ratio suadet, et experientia docet, multo saepius mortales adoritur, atque intercipit.

Pauca de Phrenitide Idiopathica, ex auctoribus colligere, atque in medium pro meo tentamine proferre, mecum decrevi.

DEFINITIO.

Ad morbum, de quo agendum est, definiendum, sufficere videntur verba sequentia Illustrissimi Culleni: " Pyrexia vehemens; dolor capitis; rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia; pervigilium et delirium ferox."

In editionibus Nosologiae Doctoris Culleni methodicae omnibus, character Phrenitidis, praeter signa supra enumerata, Typhomaniam quoque complectitur; cur igitur in nostra morbi definitione locum non tenet? Ipse Cullenus nos certiores fecit, Typhomaniam in ejus Phrenitidis definitione obtinuisse locum, quo tempore, una cum quibusdam Nosologorum aliis, pro certo habebat, comam, semper phlegmasiam substantiae ipsius cerebri, sed nunquam ejus meningum comitari; et ita, potestatem statuendi, an in cerebro ipso, an in ejus membranis, morbus situm habeat, semper praebere. Postea tamen, re iterum iterumque in animo secum perpensa, an notis in ejus mali definitione aliis, recte adjecerit Typhomaniam, plurimum dubitabat.

Nobis equidem videtur, hoc signum, Typhomaniam nempe, cum partibus definitionis viri clarissimi reliquis, non omnino concordare.

Aegrum, pyrexia vehemente ; capitis immani dolore ; faciei oculorumque rubore ; lucis sonique intolerantia ; pervigilio, aliisque, systema universum quam maxime excitari plane demonstrantibus, malis laborare, necnon uno, eodemque tempore, stupore et delirio miti opprimi posse, quis ad concipiendum valet ? Ratio suadet, et experientia satis ostendit, ea furere signa, una cum delirio ferocissimo, potius quam Typhomania—de hac re, tamen, pluria verba facere meum non est ; nec necessarium esse, nec profuturum censeo, minimeque sane, finibus hujusmodi dissertationibus, vulgo praescriptis, semperque in memoria tenendis, penitus congrueret.

Quoniam Phrenitidis, aeque ac aliorum morborum, complectitur definitio, signa tantum ea, quae ad malum cognoscendum, atque ab omnibus aliis secernendum, probe sufficiunt, multa, atque varia necessario praetermittun-

tur alia, quae, vel in eodem casu, vel in diversis, sese ostendunt; ideoque, quum de Phrenitide, sub forma ejus idiopathica, paucis, paginis in sequentibus, disserere fert, ut ante proposui, animus, pleniorem morbi historiam tradere, et decet, et oportet.

HISTORIA MORBI.

Phaenomenis ad febrem spectantibus, rigore scilicet, atque horrore, vicissimque calore corpus percurrentibus totum, maxima ex parte incipit Phrenitis, pariter ac morbi alii, qui ab inflammatione pendent: languore, lassitudine, nausea, loco, eodem tempore, gaudentibus. Mitescentibus gradatim, demumque penitus evanescentibus, rigoribus atque horroribus, quae in Phrenitide, aeque ac in febre synocha, vix, aut ne vix quidem unquam gra-

viter urgent; sensus caloris quodammodo aucti per totum sentitur corpus, et praesertim in facie, quae gaudet colore gradum ultra naturalem.

Haec phaenomena, a sanguinis cursu, caput versus atque superficiem, quam sanitate fruentibus contingere solet, validiore, plane provenientia, manifestiora sensim evadunt; donec arteriae temporales, carotidesque valide micant; licet in carpo, ut auctores de re nostra nos certiores faciunt, pulsus, per totum morbi decursum, se perexiguos haud raro habeant; facies exinde rubrior fit, atque turgidior; oculi quoque rubescunt, prominent, aegroque pro dolore sunt; dolor etiam capitis atrox, sinciput interdum occupans, interdum occiput, et exinde ad collum usque tendens, miserrimum torquet.

Phaenomena, quoque, sensilitatem, vel ut quidam, iique haud parvi nominis, scriptores

loqui amant, mobilitatem generis nervosi minime parum praeter naturam auctam, indicantia, in medium, hoc tempore, veniunt: oculi, exempli gratia, ad lucem quam maxime obscuram bene tolerandam, neutiquam valent (qua de causa, pupillae nisi admodum contractae nunc conspici nequeunt); susurri vel levissimi, ab iis valetudine fruentibus secunda, vix aut ne vix quidem percipiendi, Phrenitide laborantibus distincte audiuntur, iisque nil incommodi nunquam inferunt; aurium quoque tinnitus (qui, tamen, hoc in casu, non modo, a sensilitate nervosa plurimum, et sane morbide aucta, sed etiam, a nervis per totam aurem internam dispersis, impressiones ab insolita vasorum vicinorum actione validas accipientibus, suam originem ducit) turbat aegrum, qui somnum exoptatum, ad vitam, sanitatemque conservandas, non modo utilem, sed prorsus necessarium,

aut non omnino, aut per spatium vix notandum obtinere potest: somniis, si forsan obtentus fuerit somnus, tumultuosis, atque horrificis, dormienti phrenitici fere statim contingentibus, eumque quasi ex felicitate abripientibus.

Rebus ita sese habentibus, fieri non potest, quin urgeat inquietudo maxima, quod, profecto, jactatio fere perpetua, satis superque indicat. Spiritus aegre trahitur, et emittitur, modo, quam in sanis fieri solet, saepius, modo rarius. Arteriarum ictus, celeres, parvi, et plerumque duri, interdum tamen, omnibus, quos consului, auctoribus testantibus, molles percipiuntur.

Cur, in hoc stadio morbi, signis, supra memoratis, quae sensilitatem, irritabilitatemque adesse summam demonstrant, praesentibus, ictus arteriarum nervos digitorum imprimens, perceptionem illius in corporibus qualitatis,

quae dicitur mollitia, animo nonnunquam praebuerit, rationem quis reddere potest? Rem sane ita se unquam habere, vix possibile nobis videri confitendum est: nos attamen certiores, facientibus, ut supra dictum, multis, nec parvi nominis auctoribus, fidem eorum observationibus dare forsan oportet—Sed nobis est ad propositum redeundum.

Corporis superficies arida est, et calida, licet pedibus, per totum morbi cursum, frigesci, plurimis in casibus acciderit; lingua quoque est arida, atque fusca, aut nigricans apparet; sitis nunc torquet immanis, nunc omnino deficit; appetentia cibi fere semper nulla, et quicquid in os acceptum, amaritiei, plerisque in casibus, perceptionem praebere dicitur; urina modo rubicunda, et, secundum de re nostra scriptores, fere statim limpida, et pallida, modo etiam turbida, atque quanti-

tate, quam in sanitate solet, semper minore redditur; alvus est admodum astricta.

Corpore, a statu ejus naturali, ita mirum in modum deflecto, an animus, ea nostrae naturae pars multo praestantior, se, ut in sanitate solebat, habet eundem? Ad responsum qualecunque reddendum, ne conamen faciamus, varia prohibent. Quanquam, an animus ipse cum corpore semper variat, dubitare possumus, tamen, est nobis concedendum, animi phaenomena inter se mirum in modum discrepare, tam in iisdem hominibus, diversis temporibus, quam in diversis, tam in morbosis, quam in sanis. Se, profecto, aliter res habere nequit. Nexum arctissimum corpus inter ac animum statuisse Numen, quis ignorare potest? Et quis ignorat, hunc nexum arctum, et sane mirabilem causam se habere, cur nulla actionis mutatio corpori, nulla idea, aut cogitatio animo contingere potest, sine

hunc vel illud pro rata parte afficiendo? Profecto, quanquam nil forsan mirabilius concipere possumus, nil tamen certius, quam actionibus organorum in corpore quorundam solis, animum ipsum existere ostendi, ejusque phaenomena gigni. Organa, quae quasi vinculum inter naturam corpoream, incorporeamque ita efficiunt, cerebrum sunt, et externorum organa sensuum; quibus, in Phrenitide tentatis, ac in sanis, sese eadem minime habentibus, fieri haud potest, quin, in morbo quem prosequimur, animi phaenomena, a statu suo naturali, longe sint aliena. Mirifice, quidem, turbantur animi phaenomena, corpore se, ut supra descripsimus, habente, et ad Intellectum, et ad Mores spectantia: ideas, exempli causa, cogitationesve, ultra solitum rapide, etiamque forsan vivide, per animum ruere, multa, hoc tempore, observare licet, quae quam optime demonstrant. Partim ab hac

notionum, idearumve conditione, partim ab insolito corporis statu, ortum ducit movendi atque loquendi mira rapiditas, pariter atque quaedam alia, quae adsunt, phaenomena.

Animi facultas, quae attentio nuncupata est, minime viget; aegrique memoria ex toto vacillat, immo prope deleri videtur: responsa enim parum ad rem, insignique celeritate profert.

Proclivitatem in iram plurimum auctam esse, nemo certe extat medicus, qui ignorare potest: a phaenomenis multis quidem, et variis, sed praecipue a responsis percontantibus redditis, satis superque est manifestum.

Adhuc, vero, quoad animum, vel potius animi phaenomena, status comparate sanus est: morbo enim progrediente, pariter ac corporis conditio, multo magis deflectitur. Faciei rubor, necnon magnitudo augetur; oculi

scintillant, quasique ex suis orbitis prosulturi videntur, et, in hoc statu rerum, sanguis haud raro e naribus stillat.

Nunc delirium saevit ferocissimum. Animi cogitationibus quam maxime turbatis, in corpus adeo mirifice, ut saepe notavimus, mutatum, agentibus, aspectu horrificissimo induitur vultus; oculi obtutu feroce huc illuc constanter volvuntur; e cubili mira vi, et rapiditate projiciuntur brachia, quasi ad objecta astantium oculos fugientia captanda; vires corporis insolitae, et fere quidem incredibiles contingunt miserrimo, ita ut plures homines eum vix compescere possint. Aeger, rebus ita sese habentibus, in adstantes, cum amicos carissimos, tum ignotos, saepe impetum facit, saepe vi insigni sputum edit: omnia, denique, quae ad insaniam vehementissimam pertinent, phaenomena exhibet.

An haec universi systematis excitatio magna diu perstet? Minime—morbo enim, modo, quem describere conati fuerimus, saeviente, nullisque forsan remediis cedente, natura ipsa, ad talem actionem adauctam, minime per longum tempus sustinendam valens, citius aut serius labascit.

Aegri conditio, tam animi, vel saltem animi phaenomenum, quam corporis, gradatim quidem, sed mirum in modum mutatur. Dolor capitis atrox; rubor faciei insolitus; lucis et soni intolerantia; movendi et loquendi mira celeritas; proclivitas in iram morbosa, signaque alia, quae omnia excitationem universi systematis adesse summam plane demonstrant, sensim mitescunt, demumque omnino evanescunt; dum observari possunt alia, quae natura longe aliena, vel potius penitus contraria gaudent.

Vires, passibus revera non semper aequis, labascunt; celerrimi, et quam maxime debiles ictus arteriarum evadunt, ita ut vix enumerari, vel etiam percipi possunt; facies fit pallida atque collapsa, et aegre trahitur, et emittitur spiritus.

Delirium ferox nunc non locum habet; nec lux, nec sonus turbat; et cogitationes, ideasve sese animo multo minus, quam sanitate vel optima fruentibus contingere solet, rapide, et procul dubio etiam vivide offerre, multa, in medium veniunt, quae satis superque demonstrant.

Vires aegri imminutae, haud secus revera ac phaenomena plurima, non modo quae se in medium dant, sed quae adsunt, partim ab hoc idearum statu, partim ab corporis conditione suum ortum trahunt. Nec, equidem, multum dubitare possumus, quin, caeteris paribus, aegri etiam conditio quoad cogitati-

ones, quae per animum ruunt, vel, uno uti vocabulo, quoad Intellectum sit, prout se habeat cerebrum—de hac re, tamen, varia, ne disputemus, vetant, eoque ad argumentum redeamus.

Demum tremunt partes corporis diversae, et praesertim lingua, quae ad edendos sonos solummodo lentos, debilesque valet, et quae ore haud raro ejici dicitur; sudores gelidi, atque viscidi, potissimum circa superiora, prorumpunt; extrema frigescunt, et vix moveri possunt—voluntate saltem adeo imminuta, quam homo moriens in usum vocare potest; muscae ante oculos volitare interdum videntur, quod a parte retinae sensilitate prorsus carente oriri putatur. Tandem vomitus occurrit materiei biliosae, et aeruginosae, faecesque, necnon urina, vel omnino retinentur, vel e corpore inscie labuntur.

Rebus ita sese habentibus, aeger plerumque vix aut ne vix quidem videt, audit, aut intelligit; quae omnia debilitatem esse summam indicant, et finem morbo, pariter ac vitae, mortem cito impositurum portendunt.

Supervenientibus dein dentium stridore, tendinum subsultu, ac convulsionibus, omnes, tam ad animum, quam ad corpus pertinentes actiones brevi quiescunt; et ita mirabile dictu! qui viribus sentiendi, cogitandi, atque movendi, paulo ante gaudebat, forma fit, in hoc mundo saltem, inanimata, quae cito redit in pulverem, seu formas novas intrat.

Phrenitis, nexui, qui, ut saepe dictum est, animum inter ac corpus semper, vita substante, intercedit, maxima ex parte imponit finem, tertio, vel quarto, vel septimo ab incursu die, ultra quem ultimum haud saepe protrahitur, nisi, iis in casibus, ubi in maniam,

melancholiam, fatuitatem, vel alia mala abitura sit.

SECTIO CADAVERIS.

Calvaria eorum, quos e vivis rapuit Phrenitis, sublata, (opus, quod ob nexum inter cranii tabulam ad cerebrum spectantem, duramque matrem, semper in sanis intercedentem, inflammatione factum arctiorem, saepe multo magis est, quam solet, difficile) dura mater se habens rubram, suaque vasa sanguine turgida, et quasi numero aucta, signa, denique, quae eam phlegmasia tentatam fuisse demonstrant, omnia exhibens, in conspectum venit. Quam ea, autem, aliarum in corpore membranarum, quae inflammatione laborant, ejus vasa tam conferta, nunquam, aut perraro saltem conspiciuntur.

Aliquando, at minime saepe, lympha ex ejus patulis arteriis effusa, facieique ejus internae adhaerente, membrana adventitia representatur.

Durae matris phlegmasiae, praecipue in casibus, ubi a vi extrinsecus illata suam originem duxerit, haud raro supervenit suppuratio, et calvaria, post mortem, sublata, pus parti, quae tentata erat inflammatione, superfusum reperitur.

Nonnunquam etiam, licet raro, dura mater, signa ulcerationis praegressae exhibens, se dat in conspectum : saepius, tamen, ubi e capitis contusionibus, aut vulneribus inflammationem ceperit, signa gangraenae percipiuntur.

Pia mater, pariter ac dura mater, indicia inflammationis, ejusque consequentium, omnia exhibet.

Remotis cerebri membranis, introspectoque ipso, variae observantur mutationes: modo, quidem, at rarissime, ut affirmant auctores, in conditione a sanitate, vix aut ne vix aliena, se habere videbatur—animus, tamen, meus, ad concipiendum, ejus vasa, in his etiam casibus, haud parum diametro aucta fuisse, valet: maxima ex parte, tamen, inflammationis praegressae indicia certa oculis introspicientium obveniunt.

Phlegmasia, plerisque in casibus, parte substantiae cerebri exigua solummodo tentasse videtur, cujus vasa, quasi arte anatomica exquisite injecta, conspiciuntur.

Partes, quoque, cerebri, quae inflammatione laborant, nonnunquam in suppurationem abeunt; quibus in exemplis, fine imposito vitae, patefactoque cerebro, abscessus hic illic in conspectum veniunt.

Nonnunquam etiam contingit cerebri gangraena; conditio morbida, minime se saepe ostendens, nisi ubi inflammationem moverit caput graviter percussum, aut vulneratum.

In cerebri sulcis, atque ventriculis, interdum reperitur serum, interdum pus.

Multa alia, immo etiam prope innumera morbida, quae oculis introspicientium, temporibus diversis, obveniebant, variis a scriptoribus enumerata fuerunt—pluria, tamen, verba de morbidis facere, parum ad rem, ut persuasum, foret.

DE CAUSIS REMOTIS.

Phrenitidis, ut morborum aliorum, causae remotae, vel sunt—quae praedisponunt, vel quae excitant: inter has, tamen, limites

accuratos, omni tempore, vix ponere possumus.

Imprimis, de quibusdam corpus morbo proclivius plane reddentibus, pauca verba faciamus.

Quoniam partis inflammatio, actione, necnon reactione, (si tali vocabulo uti liceat) ejus nervos inter arteriasque, alterna, non praecedi, forsanve, ut loquemur strictius, non produci potest, ex necessitate sequitur, eam, prout se habeant res variae, quae huic actioni, ac reactioni, nervos inter atque arterias, vel favent, vel obstant, plus minusve facile concitatum iri ; ideoque, quum, ut antea dictum, Phrenitis ab inflammatione quarundam intra cranium partium constat, omnia, quae statum, sive corporis totius, sive ipsius cerebri, ejusve membranarum, huic actioni alternae, inter nervos arteriasque partium, situm suum intra cranium habentium, intercedenti, faven-

tem inducunt, Phrenitidi pro rata parte faveant, vel quo verbis utar aliis, corpus proclivius reddant, necesse est.

Nemo certe medicus ignorare potest, Phrenitidem apud homines, vitam sub coelo ad meridiem spectante, degentes, saepissime, atque saevissime grassari ; raro, quidem, his in regionibus, aliisque zonae temperatae ; rarissime, in zona frigida, adoritur mortales : eamque suam faciem horridam, potius aestate, quam hieme, in conspectum dare, quis ignorat ? Quis non pro certo habet, hunc morbum horribilem, vix unquam ad sanitatem perducturum, juvenes, vel aetate florentes potissimum ; seniles raro affligere ?

Haec partim, et, ut videtur praecipue, e corpore, sub his rebus variis, plus minus proclive se habente ; partim, e concitantium morbi causarum actioni plus minus exposito pendent.

Omnibus, qui, de Phrenitide scripserunt, testantibus, fere nunquam adoritur infantes: quod, a causis, quibus nascitur, vix unquam in eorum corpora agentibus, minime certe, a proclivitate ad malum in iis existente parva, aut nulla, provenire potest: quis enim ignorat, corporis conditionem, quae, aetate infantili, generi humano contingit, actioni, et reactioni reciprocae, loco, nervos inter atque arterias, tam cerebri, quam universi systematis, gaudenti, plurimum, et sane mirum in modum favere? Quis, igitur, rem ita se habere minime ignorans, dubitari potest, quin, in infantibus, pariter atque aetate florentibus, causis, quibus concitatur, agentibus, se ostendat Phrenitis?

Dicitur morbum, de quo agitur, rarius in mulieres, quam viros impetum facere; cujus ratio parum latet: hi, enim, quanquam fortasse, modo secundum naturae leges vi-

tam degerint, minus proclivos, quam illae sese habeant, noxiis tamen excitantibus saepius obnoxii sunt.

Medicis est bene notum, inter homines, ejusdem aetatis, regionis, sexus, eodem cibo, et vitae genere utentes, Phrenitidem alios, potius quam alios adoriri; saepius eos, exempli causa, sanguineo temperamento, quam melancholico praeditos: quod a corporibus, diversis in constitutionibus, mutuae actioni, et reactioni arteriarum, atque nervorum, plus minus faventibus, oriri videtur.

Cibo nimis stimulante, et liquoribus inebriantibus, praeter modum usurpatis; exinanitionibus solitis, sicut in sexu sequiori mensibus, sanguinis e naribus, aliisve partibus profluviis, supressis; venaesectione, quae, certis temporibus, perfici solebat, praetermissa; periodica alvi dejectione, saepe, et diu neglecta; affectibus animi concitantibus, saepe

in corpus agentibus, atque mirum in modum turbantibus, citius aut serius inducitur systematis conditio, quae omnibus, quibus est inflammatio, morbis, et praesertim Phrenitidi, quam maxime favet: haec igitur omnia, inter causas mali, de quo agimus, praedisponentes, haud immerito recensentur.

Apud scripta auctorum variorum, de multis aliis rebus, praeter has supra memoratas, de vigiliis diutius protractis, exempli gratia; de cogitatione intensa; inedia; venere effraena, caeterisque, quae Phrenitidi praedisponere dicuntur, legere possumus; sed de hac re satis verborum factis, pauca, de causis, quae morbo nostro originem praebent, nunc dicenda sunt.

Inter praecipua noxia, quae ad Phrenitidem concitandam valent, nec immerito recensetur insolatio, seu fervidus sol in caput nudum effulgens. Insolationem, potissimum

in regionibus australibus, hunc morbum excitare, quis ignorat? Calor nostrarum regionum tam modicum se plerumque habet, ut, nisi ubi proclivitas existat morbida, ad eum excitandum vix unquam sufficere potest.

Ut ab variis auctoribus accipimus, insolationis imperium, quibusdam in casibus, finem vitae subito imposuit. De hac re mentionem faciens, verba sequentia profert illustrissimus Van Swieten: "Imprimis si, non bene tecto capite, aestivi solis radiis homines diu exponuntur: tunc enim sic calescere possunt capitis integumenta, et ipsa calvaria, ut sanguis a nimio calore coagulari jam incipiat, unde pessima et saepe subito lethalis Phrenitis nascitur." Idem auctor observavit: "Nihil magis periculosum, quam si solis radiis exposito capite quis dormiat. Memini binos messores, sanissimos certe et robustissimos,

inter bihorium sic periisse; dum foeni acervo incumbentes, nudo capite meridiano soli exposito obdormivissent. A sociis enim expergefacti titubabant, incondita quaedam obmurmurabant, et paulo post moriebantur ambo."

An ad Phrenitidem tam subito concitandam potest valere insolatio? Minime probabile nobis videtur, Phrenitidem vel saevissimam, intra bihorium ab ejus impetu, finem vitae unquam impossuisse. Annon magis est verisimile, subitam mortem ab insolatione interdum provenientem, ab aliqua generis nervosi laesione ignota, potius quam Phrenitide suam trahere originem? Bini messores, de quibus Van Swieten verba edidit, a sociis expergefacti, nulla signa Phrenitidis, nulla signa excitationis magnae exhibebant: non rapide ac clare loquebantur, sed "titubabant, et incondita quaedam obmurmurabant" —

phaenomena, quae vim nervosam, eo tempore, mirum in modum fuisse imminutam, plane indicabant.

Plurima etiam exempla tradiderunt auctores, ubi, capite nudo igni, secundum quietem, exposito, mors brevi acciderit—minime, tamen, ad Phrenitide, ut mihi persuasum est. Quin calor magnus, capiti velaminis experti, quacunque ratione admotus, ad originem Phrenitidi praebendam valeat, nemo certe dubitare potest.

Injurias capiti, vi externa illatas, ad eundem effectum producendum valere quis ignorat? Inter causarum, quidem, mali, de quo agitur, excitantium frequentissimas, jure summo recensentur: ad hoc causarum genus referri potest, detrimentum, quod ossea tubera, aut spicula, ab interna cranii tabula orta, partibus suppositis praebere possunt.

Hic loci, quoque, fas est enumerare usum liquorum inebriantium, et cibi stimulantis immodicum—fontem unde profluunt innumera mala; vigiliam et praesertim cum studio intenso junctam; venerem frequentem, atque effraenam; solitas evacuationes, sive naturales, sive non, suppressas—omnia quae, non solum, ut antea dictum est, corpus Phrenitidi proclivius reddunt; sed etiam per se ad eam inducendam haud raro valent.

De aëre impuro, quasi causa inflammationis cerebri, ejusve membranarum excitante, Doctor Lind mentionem facit; sed modum, quo vasa intra cranium sanguinea ad actionem adauctam incitat, concipiendi nobis non est facultas.

Quidam animi motus, qui jure optimo dicuntur concitantes, quales sunt ira, gaudium, stimulum validissimum toti systemati praebent, actionem cordis atque arteriarum, et

exinde cursum sanguinis in caput mirum in modum augent; eoque vi malum, de quo agitur, excitandi gaudent: et nemo certe extat medicus, qui, de multis Phrenitidis casibus, actione harum causarum moralium concitatis, nec legit, nec audivit.

Inter Phrenitidis causas excitantes, timorem, moerorem recensere nonnullis placuit: sed inter omnes constat, eos animi motus, effectus sedantes, non stimulantes edere; qua igitur ratione ad statum summae incitationis producendum valent? Hoc, equidem, pro certo habemus, terrorem originem Phrenitidi interdum praebuisse: sed quis ignorare potest, subitam atque ingentem terrorem, mirum in modum corpus excitare? Ratio, igitur, cur, inter causas hujus morbi, concitantes, fas est enumerare terrorem, minime latet.

Longa, etiam, atque valida, sive corporis, sive animi exercitatio, et quicquid, denique,

vasa cerebri ad actionem ultra naturam incitat, ad Phrenitidem concitandam valet.

DE CAUSA PROXIMA.

Causam morbi, quem prosequimur, continentem, seu proximam, inflammationem vel cerebri membranarum, vel cerebri ipsius substantiae, vel etiam amborum se habere, docent causae remotae, symptomata, sectionesque cadaverum.

Praegressae inflammationis indicia, quae, partibus inflammatis, post mortem, inspectis, conspiciuntur, minime se, secundum morbi severitatem minorem, aut majorem antecedentis habent: plurima, enim, experientia satis superque comprobatum est, cerebra hominum, quos abstulerit Phrenitis vel furiosissima, vix ulla phlegmasiae vestigia forsan ex-

hibitura; dum, e contra, intra cranium mortalium, qui vivi miti laborabant Phrenitide, notae praegressae inflammationis haud dubiae, interdum conspectae sunt.

Res profecto aliter se habere non potest: gradus, enim, ut omnibus medicis notum, a statu sano, in systemate universo mutationis, ab inflammatione in eadem parte, vel in diversis hominibus, vel in iisdem diversis temporibus, saeviente, provenientis, non modo secundum phlegmasiae ipsius violentiam, sed etiam secundum aegri constitutionem, aetatem, conditionem, multasque res alias haud omnino intellectas, nequit non variare.

DE DIAGNOSI.

In diagnosi Phrenitidis Idiopathicae statuenda, paucis tantum verbis opus erit: hujusce

enim mali tam violenta est natura, ut, ejus signis rite perpensis, in dubio minime per longum tempus haerere possumus: profecto, vix alius, si excipiantur Mania, et Phrenitis Symptomatica, mortales vexat morbus, cum quo confundi potest; huncque etiam morbum, ab illis secretu, plerisque saltem in casibus, haud difficile habendum est.

Symptomata aeque violenter in Phrenitide Symptomatica, ac in Idiopathica, saevire posse concedendum: in illa, tamen, delirium, donec per aliquot dies perstiterit morbus, se perraro ostendit—febrem ex hinc sequens passibus aequis; in hac, contra, fere ab initio, febre simul leviter urgente, saevit.

Notatu haud indignum est, delirium saepe in Synocha locum habens, nulla cerebri, ejusve membranarum inflammatione praesente, adeo violenter, ac id in casibus Phrenitidis se ostendens, perraro quidem, aut nunquam sae-

vire, nec notis tantae ad caput determinationis unquam stipari. In Synocha, quoque, pulsus sunt pleni, validi; in Phrenitide, autem, parvi, duri, et quam in Synocha celeriores.

Mania a Phrenitide, cum Idiopathica, tum Symptomatica, facile, maxima ex parte saltem, secerni potest: in illo, enim, malo, vel nulla, vel tantilla adest febris; delirium vix aut ne vix quidem unquam graviter urget; memoria, praesertim quoad res externas, et forte occurrentes, fere integra remanet; et, denique, potissimum afficiuntur functiones animales: vitalibus, eoque naturalibus, fere, ut in sanitate solent, easdem sese habentibus.

DE PROGNOSI.

Quoniam ex inflammatione cerebri, organi, tam ad vitam omnino necessarii, quam ad di-

vina munera ad Intellectum pertinentia obeunda constituti, morbus, de quo agitur, constat, fieri non potest, quin sit semper periculosissimus; finem, profecto, vel vitae ipsae, vel menti sanae, in omni fere casu imponit.

Aegro, habitum corporis diathesi phlogistica parum praeditum, neque plenum, neque robustum, habente; temperamento melancholico, atque aetate, vel infra annum decimum quintum, vel ultra trigesimum quintum, gaudente, sub coelo temperato, aut frigido, vitam, fere semper ad morbi impetum usque naturae legibus obtemperantem, degente; morbo, a causis cerebri fabricam, functionesque laedentibus, haud proveniente, eventus felix fere promittitur.

Si, ab ejus initio, nunquam graviter saeverit morbus; si non diu ante perstiterit, quam petatur auxilium; si, remediis idoneis opportune ad malum debellandum vocatis, dolor

capitis; pyrexia; pervigilium; delirium, signaque alia incitationem systematis summam plane indicantia, remitterent, sanitatem reversuram praedicere licebit.

Bonum, quoque, finem, portendere dicuntur, sudores universi ac copiosi; alvi proluvies; sanguinis e naribus, aliisve partibus profusiones liberales; tumores circa aures, atque parotides apparentes; urinae haud parum sedimenti deponentis excretio magna; et, denique, dolores varias corporis partes pervagantes. Ubi potius quam metu, delirium risu stipatur, prognosis dicitur melior.

Si, contra, aegro sit habitus corporis plenus, atque robustus, diathesi phlogistica multum praeditus; temperamentum sanguineum; aetas annos pubertatis inter et trigesimum quintum: si coelum, sub quo degitur vita, sit fervidum: si morbus, a causis cerebri functiones turbantibus, sicut, exempli gratia, inju-

riis vi externa capiti illatis, suam originem duxerit: et, ante omnia, si vitae genus diu intemperatum, aut minus idoneum fuerit, spei indulgeamus magnae minime decet.

Si pyrexia sit vehementissima; dolor capitis immanis; vigilia constans; delirium ferocissimum: si, ad summum, omnia, quae adsunt, symptomata, systema quam maxime excitari demonstrent, eventus minime faustus expectandus.

Si, signis summae excitationis praesentiam plane indicantibus, et ab ea, quidem, omnino pendentibus, sublatis, vires aegroti rapide labascerent; si facies, antea rubra atque turgida, pallida et collapsa evaderet; si omnia, summatim, phaenomena, sensilitatem, seu mobilitatem generis nervosi multum imminui indicarent, spes aut nulla aut angustissima permittitur.

Muscae ante oculos quasi volitantes; tremor partes corporis diversas quatiens; sudores gelidi atque viscidi, circa caput, collumque potissimum prorumpentes; vomitus aeruginosus; dentium stridor; subsultus tendinum; convulsio, praeter alia signa, quae, eodem tempore, in medium veniunt, satis superque indicant, mortem in limine adesse, et finem vitae, pariter ac morbo, jam impositurum.

Phrenitis, ut supra est dictum, tertio, quarto, vel septimo ab incursu die, plerumque terminatur; interdum, tamen, ultra septimum protrahitur; quibus in casibus, si delirium adhuc perstet, licet pyrexia mitescat, maniam aut melancholiam subituram praedicere licebit. Delirio una cum pyrexia cessante, atque coma superveniente, apoplexiam aegrotum cito correpturam, est verisimile. Maxima ex parte, etsi ad pristinam sanitatem per-

duci videatur, dolor capitis; vertigo; tinnitus aurium, et vel ipsa fatuitas superveniunt.

DE RATIONE MEDENDI.

Medicum, cujus auxilium ad hunc morbum horribilem arcendum petatur, corpus, vel caput saltem aegri, quam primum erigere oportet: propterea quod experientia satis comprobatum est, talem corporis posituram, impetum, quo sanguis versus cerebrum tendit, semper plus minusve frangere; e cubiculo, quod frigidulum, et tenebrosum esse debet, omnes astantes, atque ministros inutiles tollere; summa cum cautela cavere, ne aeger sonis, aliisque irritantibus, turbaretur, ejusque corpus exinde magis excitaretur; et, denique, totum regimen antiphlogisticum, atque remedia antiphlogistica validissima in auxilium vocare:

nam morbus, contra cujus vim, atque severitatem est contendendum, ab affectione, ut saepe diximus, inflammatoria, organi in corpore humano longe nobilissimi, cerebri nempe, constat.

Remediorum antiphlogisticorum validissimum est sanguinis detractio, quae in omnibus phlegmasiis princeps est remedium. Nemo certe ignorare potest, sanguinis jacturam aut missionem, actionem cordis atque vasorum per totum corpus, et praecipue in cerebro, mirum in modum minuere. Rem ita se habere demonstrant multa, quae, sanguine detracto, se dant in conspectum. Quum, igitur, in morbo, de quo agitur, actionem intra cranium vasorum adauctam, quantum fieri potest, imminuere est summi momenti, ad hoc remedium, quo nullum existit potentius, aut praesentius auxilium, sine mora confugere oportet. Sanguis in quantitate pro re

nata, et quam celerrime est detrahendus. Cur quam celerrime? Quia, caeteris paribus, plus minusve minuitur actio cordis et arteriarum, prout sanguinis detractio plus minusve subita fuerit.

Ut sanguis rapide detrahatur, nonnulli duo vasa, eodem tempore, incidere suadent: fortasse, tamen, ob varias causas, sanguinem, ex amplo orificio in uno, ruere faciat medicus potius oportet.

Mittendus donec aliquid levaminis sentiatur, vel, ut quibusdam, et nobis etiam, persuasum, usque ad animi deliquium.

An e capite, e collo, vel e brachio eliciendus, non apud medicos constat: nonnullis, exempli gratia, arterias temporales incidere placuit, nonnullis venas jugulares, dum alii nequeunt non sentire sanguinis e brachio missionem ad eosdem bonos effectus producendos valere.

Detractio, quoque, sanguinis topica, saepe hoc in morbo in auxilium vocata est. Ad hoc perficiendum alii suadent hirudines, alii cucurbitulas cruentas temporibus admovere, et quibusdam, etiam, placuit nares stimulare, aut potius vulnerare, et ita ex iis sanguinem detrahere. Celeberrimus Hoffman nos certiores facit, seipsum haud parum commodi, ex epistaxin hoc in morbo inducendo, provenire, aliquoties vidisse.

Pyrexia vehementi; dolore capitis atroci; pervigilio perpetuo; delirio feroci; aliisque signis, quae ex summa incitatione systematis pendent, praesentibus, sanguinis missio, tam topica, quam generalis, in usum quam maturrime vocanda est: rebus se aliter habentibus, omnino evitanda.

Remedia purgantia optimos in Phrenitide effectus edere, nemo medicus ignorat: in nulla, quidem, phlegmasiarum, sunt magis

necessaria aut utiliora. Alvus per totum ejus cursum modice soluta tenenda est; quippe hoc pro certo habemus, aegrotum, alvo soluta, meliorem semper se habere; contrario, astricta, semper ingravescere. Systemate, tamen, quam maxime incitato, alvoque se astrictam habente, remediis purgantibus uti oportet—remediis, quibus validus stimulus in intestina, eoque in totum systema agens, tollitur; quibus sanguis e capite, inferiora versus mirum in modum derivatur. Modo, quod, ut nobis videtur, vix est probabile, statu canalis intestinorum bene perpenso, ad alvum eliciendam valeant, hujusmodi remedia semper anteponenda sunt mitissima; quippe quae inter agendum corpus totum, parum, aut non omnino stimulant: ad hoc genus pertinent, multi sales medii—veluti sulphas, aut phosphas sodae; tartris potassae et sodae; tartris, aut sulphas potassae; super-

tartris potassae, et sulphas magnesiae; etiamque oleum ricini; electuarium sennae; infusum tamarindorum cum senna, atque similia. Iis, tamen, in casibus, ubi ad alvum ciendam, remedia supra enumerata non sufficiant (res quidem potius expectanda) submuriatem hydrargyri una cum jalapa administremus oportet.

Gambogia, scammonia, atque colocynthis semper caute tentanda sunt; quippe quae, in ventriculum aegri Phrenitide laborantis assumpta, ob validissimum stimulum quem inter agendum canali alimentario, ideoque toti systemati, fere semper praebent, impetum sanguinis ad cerebrum jam nimium, haud parum augerent, eoque multum incommodi, aut etiam periculi aegro miserrimo inferrent.

Enemata, quoque, ad alvum subducendam probe valere quis ignorat? In Phrenitide

sunt in usum vocanda, atque mitissima horum, aeque ac catharticorum, anteponenda.

Nonnulli suadent iis uti remediis, quae nauseam inducunt; et primo equidem aspectu, haud absurdum foret, multum commodi ab huic statui originem praebendo proventurum esse expectare: quippe hoc pro certo habemus, nausea substante, actionem cordis atque arteriarum haud parum imminui, et sanguinem exinde minus quam solet rapide atque copiose in cerebrum mitti: sed semper in memoria tenere oportet, nauseam, nulla ratione, induci posse, sine periculo maximo vomitioni quoque originem praebendi, quae in statu magnae incitationis, atque ad cerebrum determinationis, nunquam satis evitari potest; propterea quod inter vomendum, vel in corpore sanissimo, impetus in caput sanguinis mirum in modum augetur. Rem inter vomendum se ita habere, rubor faciei auctus,

aliaque phaenomena satis demonstrant. Minimeque igitur in Phrenitide administranda sunt emetica, ulla forma, aut quantitate.

Inter remedia interna quae hoc in morbo effectus edunt utiles, sibi locum vindicant quae dicuntur refrigerantia; ex iis praecipua sunt citras, et forte etiam nitras potassae; acida mineralia aut vegetabilia bene diluta; aqua frigida ipsa.

Hoc, quoque, in morbo, signis magnae excitationis substantibus, caput, sine mora, ad cutem tondere, idque applicationes frigidas superimponere oportet: frigus quidem quacunque forma, sive aquae frigidissimae, vel per se, vel salibus mediis uti nitrate potassae, muriate sodae, vel acido acetoso commixtae; sive nivis aut glaciei contritae, capiti raso Phrenitide laborantis admotum, multum prodesse, inter omnes de re nostra scriptores constat. Hic, quoque, adjuvare valet vel

aetheris sulphurici, vel pilei lutei applicatio.

An, Phrenitide saeviente, vesicantia caput rasum superimponi debent, necne, nondum apud medicos constat: sunt qui affirmant, effectus pessimos ex iis capiti, morbi initio, admovendis saepe provenisse. Semper tamen oportet, prius sanguinem detrahere, alvumque purgare, quam in usum vocantur epispastica.

Non desunt auctores, qui suadent totam superficiem frigido balneo refrigerare; qui affirmant, effectus ab hoc quam maxime utiles, haud raro suam originem duxisse: hoc tamen remedium summa cum cura semper est tentandum; quippe experientia plurima comprobatum est, balneum frigidum incaute adhibitum, ad sanguinis cursum versus caput augendum haud parum valere.

Quoad pediluvium pauca observanda. Plurimi, quidem, et haud parvi nominis auctores,

tum veteres, tum recentiores, pediluvio hoc in morbo uti suadent: quia arbitrabantur, calorem, quacunque ratione, inferioribus admotum, sanguinem ad ea, a superioribus, derivare; dum, contra, ab experimentis, quae de pediluvio institutae fuerunt, constat, calore inferioribus admoto, sanguinis ad caput determinationem non modo non minui, sed haud parum augeri. Quoniam, vero, non pro certo habemus, an, pediluvio in casibus Phrenitidis adhibito, impetus, quo sanguis ad cerebrum tendit augeatur aut minuatur (nam, quanquam in sanis augeatur, in phrenitide laborantibus forte minuatur, quippe prout corpus se habeat, effectus diversissimae naturae, immo etiam prorsus contrariae, ab iisdem causis oriri possunt) an ab hoc remedio auxilium sit petendum, necne, dicere minime fas est.

Morbo saeviente, vel in aliis verbis, signis magnae incitationis praesentibus, a carnibus (cautio vix unquam necessaria; quippe in omni fere casu miser cibum, et super omnia carnes, non modo non appetit, sed multum fastidit) meracis potulentis, caeterisque, quae ventriculum incitando, systema universum stimulant, ideoque et ad augendum febrem, ac inflammationem valent, summa cum cautela est abstinendum: denique, hoc in stadio morbi quicquid dicitur antiphlogisticum in auxilium vocandum est.

Conditione aegri, tam animi, quam corporis, se aliter habente, signis scilicet, quae systema mirum in modum excitari indicabant, sublatis, sanguinem eliciamus minime licet: nec alvus est purganda sed tantum modice soluta tenenda; et fortasse etiam nec corpus, nec caput ipsum, erectum teneri debet. Epispastica capiti raso sunt admovenda; et si

pervigilium atque delirium adhuc restent, opium, seu hyoscyamus; camphora; balneum tepidum, seu pediluvium tentanda sunt: nec parvam vini quantitatem in usum vocare, et cogitationes jucundas, si, corpore se ita habente, fieri posset, excitare, alienum foret.

Si apoplexia, vel mania, vel melancholia supervenerit remedia idonea sunt usurpanda.

Si, denique, ad sanitatem, quod perraro quidem accidit, perduceretur—et decet, et oportet quasi ex ipsis orci faucibus abreptus summa utatur temperantia, et, summatim, omnia, tam moralia, quam naturalia, quae actionem cerebri vasorum ultra modum intendere valent, quam sedulissime evitet.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.